



**Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et Justitiæ, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque omnibus in utroque Foro ...

Pars Prima. De Ivrisdictione Et Foro Competenti. Pars Secunda. De Præeinentiis & Præcedentiis

**Luca, Giovanni Battista de  
Coloniae Agrippinae, 1691**

Disc. LXI. Tranen. An gesta per Judicem laicum contrà clericum non opponentem de clericatu, & tanquam contrà laicum, substineantur, vel potius infirmanda sint; Et quatenus veniant infirmanda, num ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74087](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74087)

nusque recepta, quoniam attenditur interesse immediatum non autem mediatum, atque actori sufficit causam agere cum possessore bonorum, ad quæ dirigitur actio ad communiter notata per scribentes in l. venditor ff. de iudiciis Covarr. practicarum quest. cap. 8. sub num. 3. Margul. de evict. quest. 6. num. 1. Capic. Latr. consul. 65. num. 20. Carleval. de iudic. par. 1. dist. 2. num. 665. apud quos cæteri, & hanc tanquam veriorum tenuit Rota in Perusina Salviani 15. Maii 1654. coram Peuting. & inconcussè servat praxis ferè omnium Tribunalium Europæ. præsertim extrâ temporalem ditionem Ecclesiæ, in qua, ut sæpius in aliis dictum est, cum unus & idem sit utriusque fori Princeps & caput, non adeò mordicus super huiusmodi distinctionibus insistitur; Licet quoad punctum Egidianæ, cuius occasione de hoc articulo agitur per Rotam in dicta Perusina coram Peutingero, haberem difficultatem exiis, quæ habentur infra in Albanen. seu Pedemont. hoc eod. tit. dist. 63. ubi de eodem articulo clerici auctoris laudati.

Demùm quoad tertiam inspectionem, seu punctum denunciationis, quam dictum Collegium prætendebat sibi illegitimè factam esse coram iudice sæculari omninò incompetenti, inanis labor videbatur super ea immorari ex recepta conclusione, de qua in huius causæ decisionibus, & in sua materia sub tit. de emptione & venditione, quod scilicet constitit de iustitia evictionis, ex æquitate illa præstanda est, quamvis neglecta esset illa denunciationis formalitas, quæ de stricta juris censura requiritur, cum aliàs esset species pœnæ, quæ hodie ex Canonica æquitate in utroque foro recepta non exigitur ultrâ interesse, quod proinde spectatur dicendo auctori opponenti de non denunciatione, quod deducat quid deductores fuisset, si ei formalis denunciatio facta esset, nam aliàs imputanda non est omisio illarum diligentiarum, quas constat non fuisse profuturas juxta vulgaria & recepta axiomata.

Multò magis, dum in isto necessario defensore concurrebat certa litis ac imminentis evictionis scientia, ex pluribus circumstantiis, & ex ipsamet denunciatione facta per ipsum iudicem, coram quo causa pendebat, Quamvis dicta citatio tanquam facta per incompetentem non esset arctativa, ad effectum, ut non subditus citatus contumax reputari potuerit, seu directè condemnari; Nihilominus saltè tanquam actus extrajudicialis, per tale organum factus ab ipsa parte, indubitatè sufficere videbatur loco protestationis, & pro scientia inducenda.

Quoties enim citatio non est arctativa seu coactiva, sed solùm monitiva, seu denunciativa, quatenus sua præaverit interesse, Tunc ubi præsertim nihil directè contrâ ipsum clericum gestum est, neque in sententia nominatur, nullum adesse dicitur Ecclesiasticæ jurisdictionis præjudicium seu violatio, dum est urbana denunciatio, quæ omitti etiam poterat, & per quam, ut denunciatio favorem & rem gratam iudex faciat, eum monet de iis, quæ coram ipso geruntur, & ex quibus, deinde sibi præjudicium resultare potest, & sic invitatur tanquam actor & voluntarius defensor juxta theoreticam Bart. in l. jurisperito §. finali ff. de excusat. tutor Felin. in cap. cum inter sub numer. 10. de sentent. & re judicata. Gabr. conf. 56. m. 16. & sequent. lib. 1. dec. 451. m. 7. par. 2. rec. cum concord. præsertim in dec. 21. Maii 1649. coram Corrado 313. p. 10. &c. dum in ea instantia super hoc puncto actor fuit disputatio, & habetur etiam plenè deductum apud Salgad. post huiusmodi disputationem editum in labyrinth. creditorum par. prima cap. 6. occasione convocandi etiam clericos & Ecclesiasticos ad concursum, qui per de-

bitorem laicum coram suo proprio iudice efformatur, si vè etiam eo invito per alios creditores, dum in proposito spectatur persona ipsius debitoris, qui in effectu, si vè provocet, si vè provocetur est reus, creditores autem quamvis provocati sunt semper quoad substantiam actores juxta ea, quæ in simili habemus de provocatis ex remedio l. diffamari, & l. si contendat, &c. ut habetur disc. præced.

## T R A N E N.

P R O

FRANCISCO GALIBERTO

C U M

T H O M A L O P E Z

E T

C O N S O R T I B U S.

Casus disputatus in Signatura Iustitiæ & resolutus pro Galiberto.

Aggesta per Iudicem laicum contrâ clericum non opponentem de clericatu, & tanquam contrâ laicum sustineantur, vel potius infirmenda sint; Et quatenus veniant infirmanda, num clericus teneatur colligantia reficere expensas in tali iudicio factas.

Executio infra tempus ad appellandum, vel post interpositam appellationem in vim Egidianæ contrâ clericum reputatum laicum non opponentem de clericatu, an remaneat valida, vel potius dicatur attentata.

## S U M M A R I U M.

- 1 **F**acti series.
- 2 Executio facta in vim Egidianæ contrâ non opponentem de clericatu sustinetur.
- 3 Clericus bona fide reputatus laicus & non opponens de clericatu tenetur ad expensas iudicii.
- 4 De conclusione, de qua num. 2.
- 5 Et de altera, de qua numer. 3. qua declaratur.
- 6 Alia declaratio ejusdem conclusionis.
- 7 Imputandum est actori, cur qualitatem rei non inquisierit, an esset Ecclesiasticus vel laicus.
- 8 Quæ expensæ per clericum refici debeant.

## D I S C. LXI.



Contrâ Franciscum absentem Lucia creditrix, in vim litterarum executorialium in contumaciam obtenturarum à Regia Audientia Tranen. curavit exequi & subbaltari quædam bona deliberata Thomæ & aliis oblatoribus. Cumque Franciscus habita de his noticia, in eorundem bonorum possessione se rever-

retur cum inhibitionibus A. C. ratione sui clericatus, hinc proinde occasione moderationis dictarum inhibitionum introducta causa in Signatura, Dicebant scribentes pro dictis deliberariis, quod gesta ut supra coram iudice laicali substineri deberent tanquam contra eum, qui laicus credebatur, ob non oppositum ab ipso clericatum in minoribus, qui ex facti circumstantiis dici non poterat notorius, sed potius notabiliter ignoratus.

Ad quod probandum deducebant receptam Curiae praxim, quod licet Egidiana non comprehendat bona possessa per clericos, sive de directo dominio Ecclesiarum, quamvis contentio esset inter laicos, quia reputatur constitutio laicalis nullam recipiens alterationem à confirmatione & extensione Summi Pontificis, utpotè id facientis ex persona Principis magis quam Pontificis juxta firmata in *Roman. de Scappucciis 9. Januarii 1611. Coccino, qua reputatur magis laicus dec. 472 p. 2. rec. 44. num. 2. & 3. p. 9. rec. add. ad Greg. dec. 181. Rom. vinea 17. Junii 1658. Bevilacqua & passim.*

Nihilominus si infra tempus datum ad appellandum, vel post interpositam appellationem processum est ad executionem bona fide quia, scilicet in actis oppositum non esset de clericatu, sive de directo dominio Ecclesiae, talis executio non reputatur attentata juxta decisionem in *Esina bonorum 10. Junii 1633. Verosio Viterbien. fideicommissi 16. Junii 1642. Cerro.*

Et in omnem eventum dicebant, dictum Franciscum ob non oppositum clericatum, & successivè fori declinatoriam, saltè tenèri ad refectionem expensarum, & damnorum ex hujusmodi actis ab actrice & deliberariis passorum, ne ejus contumacia vel negligentia in aliorum bona fide procedentium damnum redundet, ad text. in cap. exceptionem de except. ubi Canonista praesertim Felin. Dec. cons. 241. Nata cons. 495. nu. 18. Covarr. practicarum cap. 33. post. num. 2. Farinacc. quaest. 8. numer. 16. Carol. de Grass. de effect. Clericat. 1. num. 180. Bellez. disquis. Clerical. ut de favore Clericorum personal. 2. num. 14. cum sequen.

Pro Galiberto scribens, cum sensu etiam veritatis, dicebam quod quidquid sit de dicta praxi Tribunalis A. C. vel Rotae circa substinendam executionem factam in vim Egidianae contra laicos putativos de clericatu non oppositantes, cujus contrarium tamen videtur magis receptum, ut in ead. Viterbien. coram Cerro dec. 283. p. 9. rec. ubi receditur à dicta alia praecedenti, & in dicta Romana vinea 17. Junii 1658. Bevilacqua, dum dicto casu fortè sustentabilis videtur prima opinio ob cessantem omnimodam incompetentiam & inhabilitatem, ex quo hujusmodi Tribunalia Urbis habituales habent jurisdictionem cognoscendi, & tractandi causas utriusque fori.

Receptissima tamen est Canonistarum opinio in Romana Curia attendenda, ut gesta per iudicem verè laicum contra clericum quamvis laicum reputatum, & de fori declinatoria non oppositantes, sint invalida, & clericum non afficiant, ad textum in o. ap. adversus si quis verò de Immunit. Ecclesiastica cap. seculares de foro competenti in 6. Abb. Felin. & ceteri in dicto cap. exceptionem de except. Covarr. d. cap. 33. num. 2. & ceteri plenè collecti per Farinacc. d. quaest. 8. nu. 15. Bellez. ubi supra nu. 13. Undè propterea super hoc puncto nulla habita fuit difficultas, iidemque scribentes in contrarium cedebant.

Difficultas verò erat circa alterum punctum refe-

ctionis expensarum, circa quem, licet contrariam opinionem excusantem clericum ab huju modi refectione simpliciter, & indeterminatè ceteris allegatis plenè tueatur *Marta de jurisdictione par. 4. casu 102. num. 14. cum sequen.* Agnoscebam tamen, contrariam esse magis communem, & rationabilem in casu suo, de quo loquuntur *sex. & DD. in dicto cap. Exceptionem*; Negabam verò applicationem ad eum, cum dicta conclusio verè, & propriè procedat, quandò clericus malitiosè, seu aliàs culposè distulit opponere de clericatu ut colligantem expensis, & laboribus defatigaret, dum *sex.* considerat malitiam, cum cuius praesupposito procedunt *Abb. Felin. & ceteri*, Quae circumstantia in praesenti cessabat, dum agebatur de iudicio contumaciae ex contumacia ficta resultante à citationibus factis domi de tempore, quo Franciscus erat absens, undè nulla sibi poterat malitia vel negligentia imputari, dum statim habita de praemissis notitia, cum clericatu dictisque inhibitionibus se tueri curavit.

Ex alia etiam circumstantia dicebam dictum Franciscum ab hujusmodi refectione excusari, ex eo quod dicti possessores neglexerunt parere dictis inhibitionibus A. C. sed adhuc continuarunt in possessione obtenta à manu iudicis laici, quae perseverantia inditum dabat, quod si ab initio fuisset oppositum de clericatu, non destitissent, ut dictam conclusionem limitat *Dec. dicto cons. 241.* cum quo pertransit *Marcbrun. cons. 44. num. 14. cum sequen.* refert & legitur *Carol. de Grass. de effect. 1. n. 83.*

Ista limitatio mihi videbatur parùm tuta in ordine ad applicationem ad factum, cum recipienda videatur quando possessor inhibitus, & de clericatu certioratus, declarat perseverantem animum se confovendi in possessione bonorum cum eadem auctoritate laicali, praeter inhibitionem, seu praeprocepto iudicis Ecclesiastici, in quibus terminis dicta limitatio mihi videbatur vera; Secus autem ubi inhibitus non spernit iudicem Ecclesiasticum, sed comparens coram eo praetendit de jure substineri gesta contra clericum bona fide reputatum laicum, vel opponit de retentione pro refectione expensarum, & damnorum ut supra, se in utroque ejusdem iudicis Ecclesiastici iudicio subijciendo, illudque expectando, cum tunc non videatur exinde resultare depravatus animus redolens delictum, ex quo oriatur poena privationis juris aliàs sibi competentis.

Solidius autem reputatum fuit primum motivum, quod scilicet clericus de nulla culpa, vel negligentia redargui posset, ideoque imputandum erat actrici, cur non inquiserit conditionem sui debitoris, contra quem iudicium instituere intendebat, & ex hoc motivo ita iudicatum fuit, condemnando dictum Franciscum ad solam refectionem illarum expensarum quas actrix & deliberarii respectivè passi fuerant postquam in ejusdem Francisci contumaciam idem A. C. moderatus fuerat inhibitiones postea reintegratas, cum isto medio tempore justè dicendus esset culposus, & e conversò dicti colligantes in statu bonae fidei.

\*\*\*